

Monstrat, quid comedat petulans passerculus ille,
Quid? quod cura eius densas habitantia sylvas,
Quae domui et campis insunt, bruta omnia seruat.
Inprimis homines diuinae mentis imago
Numinis vtuntur cura studioque paterno.
Sicut amore pater sobolem complectitur almo:
Sic pater omnipotens homines pia corda gerentes,
Quaeque iuuant illos, nunquam curare recusat.
Est vigil illorum custos in limine vitae,
Nec, si procedunt annis, hos deserit vnquam.

Id' TV commonstras PRAECELLENTISSIME ROTHII,
Cuius nos cuncti docto pendemus ab ore.
Hic, qui mirandis moderatur legibus orbem,
Prae centum reliquis, (sic ipse ais, OPTIME ROTHII,)
Me fouit, iuuatque meas res prouido amore.
Sic TV nunc ROTHII celebras iam Numinis almi
Diuinas curas, TIBI quas splendescere cernis.
Ast en! nunc maior radius splendescit amoris,
Sicut, purpureus si sol, complexus habenis
Flammiferis mundum, medium caeli occupat alti,
Lumine maiori se'e dilatat vbique:
Sic TIBI, PRAECEPTOR, lux haec hodierna coruscat
Clarior, et similis TIBI nullo tempore visa est,
Nonne TIBI lux haec quam iucundissima surgit
A summo sanctoque Deo, qui splendida lux est?
Nam celebras hodie felix natalia festa
Fulget laeta dies, quae nunc splendore repleuit
Doctōris pectus fidi totosque Penates.
Non TVA, mi ROTHII, iam morbo pectora languent,
Non alia affligit iam TE inclementia fati.
Sic suauem rerum cursum non impedit vllus
Faustarum, Numen quas summum misit ab astris.
Et sic ex voto sunt iam TIBI cuncta parata.
Hinc merito gaudet Musarum grata Palaestra,
Qua quaeso ratione potest schola moesta sedere,
Dulcia si fidus Praeceptor gaudia captat?
Hinc ferimus laeti votorum praemia sancta,
Atque Dei laudes summi cantare studemus,
Qui Praeceptori misit prosperrima quaeuis.
Perge Deus: facito, celsi moderator Olympi,
Laetius vt crescant vigeantque in corpore firmo
Vires: dextra Dei summi omnia nubila pellat,
Vt TIBI perpetuo redeat, sine nube serena
Ter felixque Dies, niueo signanda lapillo!
Sic TIBI conseruet constans fortuna benignum
Vultum, nec gressu volucris pedibusque recedat!
Sic igitur valeas et viuas Nestoris annos,
Sic etiam thalami vigeat SVAVISSIMA CONSORS,
Incolumemque TVVM reddat Deus ipse PARENTEM,
Terreat hancque domum diri nil Ominis vnquam!
Sic schola florebit, sic tempora longa videbit.

